14°



SYMBOLICUS RITE ELECTORUM CULMUS, RECTè DELECTORUM MAGNIFICUM COLUMEN,

FERAX SPICARUM SEPTEM;

E CULMO UNO CONSPICUA PULLULANTIUM ubertate, Bœtis juxta ripas fruge resplendentium copiosa, allegoricus cumulus,

DUM IN FRANCISCIADUM HISPALENSI TUGURIO Bœtico-Seraphica observantum Eparchia, summum suum exornatura fastigium, Provincialemque Patrem designatura Ministrum Spiritu Dei plenum, & septem ejus donorum fertilitate fœcundum,

QUI CONSTITUAT PRÆPOSITOS SUPRA VERTICES dignitatum exaltandos, augurio congregatur fœlici.

HARUM SPICARUM SUB GRIPHO, per quatriduum mirabuntur, tot in horrea Domini manipuli congregati, quot encomiasticarum Orationum redactæ segetes, perque triduum theosophicarum subtilitatum conditæ fruges, ut arenæ maris copia mensuram excedens coæquanda sit.

PHYLOMUSOS INVITAT SACROS, RELIGIOSOS atrahens viros, sapientes quosque veros alliciens.

CONJECTORIBUS, MAGISTRIS, ET ERUDITIS quibuslibet hæc refert, ut in aliis generationibus enarrentur.

IGITUR VIRENS AMNIS RIPA USU UBERRIMA, & ornatu spectabilis, erit magna Minoriadum Hispalensis Domus, regularis observantiæ Regalis stigmatizati Seraph, Sacerque Conventus

A DIE 14 MENSIS OCTOBRIS, USQUE AD 17. EJUSDEM inclusivè, anni Domini M.DCC.LVII.

HISPALI:
In Offic. JOSEPHI PADRINO, in vico Genuensi.



THEOGRAPHICA ALLEGORICI CULMI EDISSERTIO.

Septem spicæ pullulabant in culmo uno plenæ, atque pulcherrimæ:: Num invenire poterimus talem virum, qui Spiritu Dei plenus sit? Ex lib. Gen. cap. 41.

BENEDICET Dominus coronæ anni benignitatis suæ, gratiæ abundantia, pacis, & justitiæ fertilitate, & campi ipsius ubertate replebuntur. Ferax ager reverà est Bœtico-Seraphica Eparchia nostra; immò in ea, benigno aspirante Zephiro, complurium spatia camporum recipiendis aptantur seminibus, ex quibus tot spicarum messes, tot abundarum frugum electa nutriuntur grana, quot ex ipsa dignissimi viri enascuntur, Præsulesque in terra paupertatis accrescunt altissimæ. Hortos Elysios, non procul ab Herculeis columnis, ubi fluvius est Bœtis, ethnici fabularunt, quos potiùs beatarum mentium insulas, quam mortalium habitaculum censuere, designantes certè viretum Minoriticum nostrum, verè deliciarum Paradyssum, juxta memoratum fluvium omnium frugiferorum germinum genere consitum, spicarum eruditis manipulis jucundatum, insignitumque Herculearum stemmate columnarum. Illorum voluptates summatim complexus Tibullus accinit: (1.)

Hic choreæ, cantusque vigent, passim que vagantes
Dulce sonant tenui gutture carmen aves.
Fert casiam non culta seges, totosque per agros
Floret odoratis terra benigna rosis.

Rationalia peccora, pennatæ subtiles volucres, hujusque fertilissimi agri coloni jucundantur, dum inter libram, & Leonem Virgo in cœlo conspicitur, id est: pax, & justitia è terris ad superos elata, & de ejus manibus spica ad terras porrigitur, & cornucopiæ, id est: rerum omnium monstratu abundantia. (2.)

——————————cui plena sinistra
Fulget spica manu, maturisque ardet aristis.

Olim spiceæ coronæ celebres apud veteres in usu fuere, quæ abundantiæ, fertilitatisque argumento, symbolum pacis, & justitiæ habebantur. Idcirco jure, & meritò capitibus imponebantur eorum, qui postquam pro patriis legibus viriliter decertaverant, pace summa, vitæ securitate, & bonorum omnium potiebantur plenitudine. Quare unum habuere numisma Galbæ Neronis successores, iconicè effictum cum spicea corona ambiente marginem, in facie referens harum septem litterarum elogium: S. P. Q. R. O. C. S. *Senatus, populusque Romanus ob Cives servatos,* (3.) quod apprimè Bœtico-Seraphico congressui congruere, quis non videt?

Verum-

Verumtamen his missis, appositi eviscеretur moralis significatio thematis. Super ripam fluminis putabat, se stare Pharao, septennas existimans cernere spicas, in culmo uno pullulantes, plenas, atque pulcherrimas, multa fruge conspicuas, quarum aspectus hilaris telluris dabat, intelligere fœlicitatem. Quo narrante conjectoribus, interpretibus, sapientibus, & eruditis, quod viderat, somnium, præter Joseph, interpretationem enodare, ausus est nemo, qui septem annorum ubertatem eximiam eas portendere, apperuit. Nunc ergo provideat Rex (addidit) virum sapientem, & industrium, & præficiat eum terræ Ægypti, qui constituat Præpositos per cunctas regiones. Placuit Pharaoni consilium, & cunctis Ministris ejus. Num invenire poterimus (ait) talem virum, qui spiritu Dei plenus sit? veluti ac diceret: non est prudens, & sapiens similis tui. Tu eris super domum meam, & ad tui oris imperium cunctus populus obediet, ad os tuum (4.) congregabit se. Ego sum Pharao potens tibi (5.) authoritatem conferre, absque tuo imperio non movebit quisquam manum, vel pedem, non fungetur publicis Officiis (6.) in omni terra Ægypti. Tulitque annulum de manu sua, annulum videlicet signatorium ad sancienda decreta, quo Rex litteras signabat, & dedit eum in manu ejus, ut ejus uteretur sigillo (7.) in signum sibi commissæ potestatis.

Bœtis igitur fluenta haud inepte allegorica inspicies expressione in fluvio illo, à quo Ægypti dependens erat fertilitas. (8.) Describitur insuper hic ipsius Joseph promotio, signatque bonum virum, & litteratum. Spiritus Dei Spiritus Sanctus est, septem autem spicæ plenæ universitas virtutum in animo uno, vel dona sacrata ejusdem, (9.) quibus mentaliter justus repletur. *Requiescet super eum Spiritus Domini*, (inquit Evangelicus vates, dum universalem seculorum commemoravit Monarcham, (10.) qui tanquam virga Orbem recturus erat, & sicut flos proponebatur ascendens) *Spiritus sapientiæ, & intellectus, Spiritus consilii, & fortitudinis, Spiritus scientiæ, & pietatis, & replebit eum Spiritus timoris Domini.*

In honorem denique Joseph Serapidis superstitiosum simulachrum ab Ægyptiis effigiatum, perhibetur, ob dimensionem frumenti, quo ipsis tempore subvenit famis, hujusque cultum per Isidis columnam, quam erexerunt, exprimebant. Præterea inventæ postea in Serapidis templo fuere hyerogliphicæ litteræ Crucis referentes formam, ejusdemque pectori *thau* litteram insculpere Ægyptii antiquitùs consuescebant, juxta id, quod de Joseph sacra narrat historia (11.) *qu si primogeniti tauri pulchritudo*

ejus,

ejus. Quæ quidem nostram Seraphicam Religionem, ejusque gloriosum stemma, & præcipuè hujus nostræ Bœticæ Provinciæ proculdubio adumbrare, perspicuum est. Demum: Serapis idem sonat, ac mundi Salvator, propterea dictum de Joseph est: *Vertit Rex nomen ejus, & vocavit lingua Ægyptiaca Salvatorem mundi.* Salutaribus redemptionis nostræ signis condecoratus pauperum Patriarcha salvationis mundi cruenta signacula, Divino spiritu, ejusdemque donis plenus, in carne adimplevit sua. Utinam ergo Vvandalia nostra talem possit invenire virum, qui legum existens æmulator paternarum, paritèr, & spiritus ad ædificationem hujus minoris Ecclesiæ valeat æmulari. Iste est nostri Capitularis congressus scopus, ad quem memoratarum collimant spicarum symboli, quater manè, terque vesperè disertè, & subtilitèr aperiendi. Sic exoptant Bœtis alumni, sic orant eum, qui emittens cœlitus lucis suæ radia, omnium electorum corda septenario replebit sacro, dans fœlicem nostro Capitulo exitum, dans perenne gaudium.

Amen.

(1. Tibul. ap. Natal.) (2. Manil. ap. Flores de agon.) (3. Idem.) (4. Haye.) (5. Idem.) (6. Alap.) (7. Lyra.) (8. Cornel.) (9. Berchor.) (10. Isaiæ cap. 11.) (11. Deuter. cap. 33.)



SPICA

SPICA PRIMA: SPIRITUS SAPIENTIÆ.

TOta pulchra, gratia plena, plena sibi, superplena nobis, pulcherrima ista, atque plena spica est omni gratiarum ubertate, ab originea sterilitate, ab Evæ fœditate immunis.

BEATISSIMA V. DEI GENITRIX MARIA

IN PRIMO PHYSICO PURISSIMÆ SUÆ CONCEPTIONIS instanti.

Ista est sapientia, quæ habitat in cōsilio, ut eruditis Provincialium comitiorum nostrorum intersit, quæ parvulos invitat Minores, inopes ditans diligentes se, & thesauros eorum replens, ut legum conditores justa decernant, ac panem suum, quem à summo cœlo ad imum terræ, ventris in spica inclusum frugifera, de longè portavit, venientes, comedant, & de plenitudine ejus accipiamus omnes.

Olim urbem ædificaturi, in fundamentum jaciebant fruges, futuram ipsius pinguedinem augurantes. Unde Civitati, cujus è fundamentis spicæ prodeunt pinguissimæ, hæc apponitur notula: *His mœnia surgent.* In Civitate Dei nostri magnus Dominus, & laudabilis nimis extollitur, etenim fundamenta ejus ita in montibus sanctis, immaculatis, in Mōte Syon (1) crescenti, fructifero aperuit, ut immortalitatis spica (2) prodierit immaculatissima Virgo, quæ ubere granorū, & gratiarū copia, pinguesceret bene plena.

Quia cæteris per partes præstatur; Mariæ vero se tota infudit gratiæ plenitudo: immo, totius, quæ in Christo est, plenitudo venit, tanquam aliter. (3)

Ecce hæreditas Domini, quæ ob fructum benedictum ventris sui extat Minoribus Protectrix, refugium, & spes. Hæc merces est, ac præmium eorum: idcirco modulari placet: (4)

Auxilium de flore gerens, de fruge levamen,
Spem & cœli panem spica novella gerens.
Præmia quanta terum implebant, & gaudia pectus,
Cœlorum Artificem, cum tua ferret humus.

Hæc denique sapientia est, quæ linguas infantium Minorum fecit disertas, ut enarrēt mirabilia illius, qui eam in sanctitate fundavit omnimoda, electam, ac præelectam, ut in tabernaculo habitaret suo.

Aliis datur per spiritum sermo scientiæ, aliis alia in eodem spiritu; at sermo sapientiæ; immo sapientia in sermone P. Fr. JOSEPHO QUINTERO Hispalensis Venturini Lycæi Sacræ Theologiæ Lectori, cujus in labiis semper diffusa est gratia & in ipsis veluti vitta coccinea, roseo funiculo erga dulcissimum hoc mysterium, el quium dulce mitabuntur omnes.

SPI-

SPICA SECUNDA: SPIRITUS INTELLECTUS.

PLena, atque pulcherrima spiritu intellectus spica, ipse est, quem mirabilitèr implevit Dominus, in medio Ecclesiæ apperiens os ejus, ut Evangelii semen in universum mundum, sui, suorumque prædicatione, omni diffunderet creaturæ.

CHERUBICUS, ET AMANTISS.

P. N. S. DOMINICUS,

cujus ea luxit clarissima intellectus lux coram hominibus, ut bona ipsius opera miraretur Orbis, & cœlestem glorificaret Patrem.

In isto perspeximus factum, quod de Paride fictum, dum gravida ejus somniavit parens, se facem ardentem, quæ universam inflammaret Asiam, peperisse: (5.)

Illa sibi ingentem visa est sub imagine somni,
Flammiferam pleno reddere ventre facem.

Oculus magnus in peripheria gemmæ, supra caput Serapidis, absque palpebrarum velamento pingebatur olim, semper apertus, ad ostendendam supremi Numinis providentiam, qua mirificè per Joseph indigenis prospexit nationibus. Lumen oculorum nostrorum Pater noster Amantissimus est: propterea adscribitur præcipuè ei domus nostræ custodia, securitas & illuminatio in Bœtico Capitulari congressu.

Ecce oculi Domini super timentes eum. (6.) *Firmabo super te oculos meos* (7.) Cur? quia *intellectum tibi dabo, & instruam te.* In pervetusta Isidis columna inspiciebatur elogium: (8.) *Ego sum in Astro canis refulgens.* Serapidi blandiens effingitur iste canis, qui & ad custodiam proderat. Unde ad custodiendas domos, & Urbes lares Dii cum cane sociabantur antiquitùs. Iisdem tanquam agrorum custodibus primitiæ etiam offerebantur frugum.

Huic fulgentissimo syderi spiritu intellectus pleno, pauperis Minoriadum agri novæ electionis novales fructus, veluti *custodi Domini,* Bœtica nostra Provincia consecrat, & insimul Deorum larium eloginm: (9.)

Vos quoque fœlicis quondam, nunc pauperis agri,
Custodes fertis munera vestra lares.

„ Et canis ante pedes saxo fabricatus eodem
„ Stabat, quæ Standi cum lare causa fuit?
„ Servat uterque domum, Domino quoque fidus uterque est,
„ Pervigilantque lares, pervigilantque canes.

Vir autem fidelis iste multùm; sed nunquam satis laudabitur glorificabiturque Domini Custos. *gloriam & laudes ipsius facunda pracinente Oratione P.* F. HYERONIMO DOMINGUEZ *Vespertina Cathedra in Cæsariensi Conventu Moderatore.*

SPICA TERTIA: SPIRITUS CONSILII.

COnsilii spiritu frugifer, plenus, atque pulcherrimus resplendet ille, qui à lucis ortu ad occasum usque similis filio hominis enitescit, cujus nomen: *admirabilis*: Princeps pacis, consiliarius, & magni Angelus consilii:

SERAPHICUS, INQUAM,

P. N. S. FRANCISCUS,

alter reverà Angelus ab ortu justitiæ Solis de virtute in virtutem ascendens, signum habens Dei vivi, in palmis, latere, & pedibus sigillatus, ferens plagarum Christi effigiem.

Eodem tempore, quo Seraphicus Parens ortus illuxit mundo, signum illud, *spica virginis* dictum, (10.) fuit manè ortum in cœlo. Spica Virginis Christus, qui sparso Verbi semine, nobis natus, ex intacta Virgine fuit. Spica itidem Christi Franciscus: etenim plenæ messis manipulum mettit de sparso semine, dum carnem, mundumque conterens, virtutum spargit munera. Idcirco carnis spicam contemptus area, Franciscus frangens, terens terrea, granum purum excussa palea summi Regis intrat in horrea. (11)

Sed cur hæc? quia sic fuit placitum ante te; quia Sacramentum Regis, arcanum consilium, à sapientibus, & prudentibus absconsum, Francisco voluit revelare Filius, immò & se ipsum revelare in Francisco secum ferente Crucifixi speciem.

Placuit Joseph consilium Pharaoni, & dedit annulum in manu ejus, regium, videlicet sigillum, & ita super universam terram præpositum fore, scirent omnes, clamante præcone, ut omnes coram eo genuflecterent. Erat enim ita elevatus, ut foret quasi Regius præco. (12.)

Præco sum magni Regis, ajebat de semetipso plagifer Patriarcha, cui regale Redemptionis contulit Christus signaculum, quod stigmatibus suis in corpore gestaret impressum. Omnes igitur coram Francisco flectant, quia gestat regale sigillum, in signum commissæ sibi super omnia potestatis. Quapropter nomen ejus magnificavit Dominus, præponens innumerabilis prolis fœtu in gentem magnam. Unde ei illud adaptabis Poetæ. (13.)

Sancte Pater Patriæ, tibi plebs, tibi curia nomen
Hoc dedit, hoc dedimus tibi nomen eques.
Hoc tu per terras, quod in æthere Juppiter alto.
Nomen habes, hominum tu Pater, ille Deum.

Hujus igitur Præconizabit laudes, geminatis lætitiæ plausibus debitas rependens grates P. F. PETRUS DE LA TORRE ELEGEGA *in Gadicensi Conventu Sacræ Sophiæ meritissimus Lector.*

SPI-

SPICA QUARTA: SPIRITUS FORTITUDINIS.

Fortitudinis sp ritus plena, formosaque spica, quibus? Iis, quorum fortitudinis volavit fama, gloria immortali coronata, iis, qui fortes facti in bello castra verterunt exterorum, qui tot coronas reportarunt quot prælia, quot conflictus, tot bravia.

EXCELLENTISSIMIS DD.

MARCHIONIBUS DE AYAMONTE

Bœtico-Seraphicæ Eparchiæ nostræ illustri bus Tutelaribus.

Isti sunt potentes in seculo viri famosi, quorum pietates, quia nobis misericordes, non defuere, hæreditas nostra nepotes eorum, quorum in domo statuta est fortitudo pauperi, fortitudo egeno, quia fortitudo facta est Provinciæ nostræ, protectrix e lectionum ejus, ut legum conditores per ipsam justa decernant.

De hac fortitudine, & protectione gloriamur, in debitæque gratitudinis tesseram honorificum erigimus mauso'eum, Eucharisticam offerentes de manu Domini frugem, cujus in dextera delectationes usque in finem invenient, & lœtabuntur coram eo, sicut qui lœtantur in mess-, sicut exultant victores, capta præda, quando dividunt spolia, nam in hujus vitæ prælio fortes fecerunt victoriam per Jesum-Christum, qui inhabitare facit unius moris in domo, concordes in Religione (14.) quorum cor unum, & anima una, ut educat vinctos in fortitudine, habitantes in sepulchris, in purgatorii ergastulis dira passos.

De Iside, inventis frugibus, exclamasse, fertur: *invenimus, congaudeamus.* Sacerdos item ad altare accedens, accepto spicarum manipulo in dextera, olim orabat (15.) *dextera tua Domine glorificata est in fortitudine, dextera manus tua confregit inimicos.*

Idcirco emittet lucem suam Dominus super Patronos benefactores nostros, lœtitiam, videlicet, sempiternam super capita eorum, ut in cœlesti beatitudine centuplum accipiant, & vitam æternam possideant. Unde modullari placet: (16.)

Messis vestra Deo placuit, quam in horrea condit,
Dum spicis teneris dulcia grana metit.
Non paleas generas, frumenta sed integra gignis,
Nec recremanda focis, sed recreanda polis.
Semina jactantes, mercedis ut ampla metatis,
Et redeat vobis centuplicata seges.

Hunc tumulum sexaginta fortes ambiunt ex fortissimis Israel, gigantes ex Bœticis vallant gigantibus, gyrant in circuitu vigiles Prælati (17.) qui plebem custodiant, cui quietem exhibituri sunt.

SPICA QUINTA: SPIRITUS SCIENTIÆ.

HUJUS plenæ, atque pulcherrimæ spicæ supercœlestis ubertas satis, superque quis comprehendere valebit? solus ille, qui cognovit omnia novissima, & antiqua, quia non est sermo in hominis lingua, ex ipsa enim, & in ipsa scientia Dei mirabilis facta est. Ista est

IMMACULATA V. MARIA

IN PRIMO SUÆ CONCEPTIONIS INSTANTI.

Ipse creavit illam in Spiritu Sancto, qui posuit super eam manum, ut formaret ipsam, gratiis oppignoratam, ne appareret in Deigenitrice manus Domini abbreviata. Idcirco, quando manum suam misit hostis ad omnia desiderabilia ejus, ut exhalarent animas suas in sinu matrum suarum, victricem in Maria manum Domini laudaverunt omnes, quia fecit illi magna, qui potens est.

Opera manuum Domini firmamentum anuntiat. Firmamentum enim, sydereis ornatum spicis, litteram indicat: *Dant sydera panem.* Cœlum, solemque, & sydera oblectat Maria, cujus beatissimus venter vivifici frumenti plauditur acervus, nam illo grano intumuit, quo omnis renatorum seges excrevit; & quasi in cellario industria veri Joseph, ne tota Ægyptus fame periret, triticum in ea repositum est, & coacervati meritorum, atque præmiorum manipuli, ut miseros Adæ filios, tritici cumulo per inobedientiam amisso ditaret uberrimè: (18.)

Tu sata syderibus. cœli nutrita secundi
Crescere, dum fiant falcibus apta sinas.
Vis tua non levis est, qua tu frumenta notasti,
Mœstus in amissis illa colonus habet. (19)

In isto insuper universorum sator posuit tabernaculum suum, ex quo vallatus extitit puritatis lyliis. Lylium enim, quasi lacteum dicitur, cujus folia sudare lac videntur. Unde lylio ex Junonis lactea procreato pluvia, apponitur nottula: *Cœlesti semine natum.* Beata igitur etiam immaculata ubera, ex quibus tener lactatus fuit puer lylium Deificum convalliū, ipse qui finxerat orbē. (20.)

Illic sydeream, mundi qui temperat arcem,
Exiguus tenero lac bibit ore puer.

Istud denique manuum Domini opus anuntiat firmamentum, manipulum triticeum istum anuntiant (21.) qui speculantur in area, quorum spiritus intelligentiæ subtilis. Sed in quo mirabilis facta est scientia Dei? Dies diei, Pater videlicet eructat Divinitate Verbum. (22.)

Sub enim mysticæ Marianæ spicæ præsidium, confugiens hæc Vvandalica

THEOSOPHICÆ SEGETIS MANIPULUS PRIMUS.

M*irabilis facta est scientia tua ex me* (Psalm. 138.) *mirabilior à me*, legunt alii. (23.) *Si ascendero in Cœlum, tu illic es:: etenim illuc manus tua deducet me, & tenebit me dextera tua.* Sublimi quodam sensu de Dei Filio Regius prophetat Psaltes, individuamque Trinitatis hìc exprimit copulam, dum Verbum, quod in principio erat apud Deum, loquitur, & se dicit cum Patre semper esse presens, per quod facta sunt omnia. Ex quo Filii immensitatem: ac proinde ejusdem consubstantialitatem Patri aliqui cum S. Cyrillo Alexandrino suadere conantur. Sed nihilominùs adhuc Theologi quærunt: Utrum ex Omnipotentia Dei inferatur consequentia formali ejus immensitas? vel ex eo, quod Deus ubique operetur, rectè concludatur, quod ubique sit formalitèr præsens? De quo nostra schola negativam tuetur resolutionem. Ab hac tamen supersedentes difficultate pro nunc, cum mirabilior Patris de Filio cognitio sit hujus processio, meritò controvertitur: ex quorum cognitione, Verbum procedat Divinum? Pro cujus evisceratione (die 14) propugnabitur, quod: *Verbum Divinum per se non procedit, ex cognitione creaturarum, neque ex cognitione personarum, vel Divinorum attributorum.*

Scoticum fasciculum istum P. F. CHRISTOPHORUS BRENES, *Philosophiæ incumbentium in Arundensi* S.P.N. FRANCISCI *Conventu Magister, Minervalem feret in aream, ut in cellaria congregetur Domini, cui juvamem præstabit, & opem* R.P.F. ANTONIUS GONZALEZ, *Lect. Jub. & in Conventu de los Remedios Gadibus Antesignanus.*



SPICA

SPICA SEXTA: SPIRITUS TIMORIS DOMINI.

PErpulchra, plenaque spiritus timoris Domini spica, inter omnia Divini Spiritus dona, ordine quidem novissima, plenitudo est, & corona, ac benedictionis paradysus Cæterum, quia pietate numeratur minor, meritò adumbrat:

EXC.D.REVERENDISSIMUM P.N.

F. PETRUM JOANNETIUM DE MOLINA

Catholicæ Majestatis in Regia Matrit. Synodo pro Immaculata Conceptione deputatum Theologum, totius Ordinis Minorum ex-Min.Generalem, Visitatorem Apostolicum: nunc denique hujus Cismontanæ familiæ Comis.Gen.&c

Quem spiritus timoris Domini: ac proinde sapientiæ, & intellectus paritèr replevit spiritus, quē æterno hæreditavit nomine Dominus, veri Abrahæ, Seraphici P.N. benedictionem repromittens, quem apud proximos (fratres) suos supremo exaltavit culmine, & super quem jucunditatem nobis thesaurizabit, & exultationē.

Huic dedit Dominus nomen grande, juxta nomen Magnatum terræ. Ipse est lapis, super quem Minoris ædificii altitudo consurgit. Ad petram ergo, de qua excissi sumus, attendamus, & ad mysticum Abraham Reverendissimum P.N.

Petra superior supra inferiorem constituta lapidem, spicarum immissa permolens grana, ut reddat escis utilia, littera ornatur: *Alterius altera*, speique, & timoris (24.) mutuum designat auxilium. Appositè sapiens: *Qui timet Deum::firmabitur in Domino, quoniam ipse est spes ejus.*

Vel hominem ab alterius pendentem authoritate, & affectu meditaberis, Petram in flumine supra cimbam hocce lemmate depingens: (26.)

Quo me cumque feret, nullo cum murmure pergam,
Sit procul insano victus amore timor.

Et invenies perspicuum obedientiæ emblema, signum nostræ voluptatis præcipuum, qua cordicitùs huic soli subjicimur Mœcenati. Sic Seraphicus vociferatur Orbis. Sic Bœtica Provincia nostra una voce proclamat: (27.)

Te solum norit, tibi semper inhæreat uni,
Cingenda est altis sepibus ista seges.
Hinc amor, hinc timor est, ipsum timor auget amorem,
Spes magis hinc veniet certa, minorque metus.

Huic ergo jucundissimo viro, Præsuli nostræ familiæ vero Bœt. Provincia N.Sacræ Sophiæ ex V.N.S.D.fruge, congregatum hunc manipulum ferventèr. O. ac reverentèr S.

SA-

SACRÆ SOPHIÆ EX FRUGE SECUNDUS MANIPULUS.

ORietur vobis timentibus nomen meum sol justitiæ, & sanitas in pennis ejus. (Malach. cap. 4.) De primo Christi in mundum adventu, quem ipse, quasi Sol illuminavit oriens, calefecit, omni fœcundavit gratia, atque vivificavit virtute, intelligunt plurimi interpretes, sicut enim Sol lucem, lœtitiam impertit, & vitam, sic Christi ortus: ipse est ergo (28.) noster Apollo sanitatis præses, ipse Rex omnium seculorum, omnia nova luce, vita nova, nova pulchritudine exornans. Idcirco justitiæ etiam apellatur: justitia etenim est integritas, salus, & animæ decor: *Filius hominis* paritèr, ut naturam redintegraret humanam, *venit quærere, & salvum facere, quod perierat.* Unde sanitas in pennis ejus, quia *proptèr nos homines, & proptèr nostram salutem descendit de Cœlis, & incarnatus est.* Sed nunquid istud hujus adventus adæquatum, aut primarium motivum sit, talitèr ut, si in Adamo natura infirma non fuisset humana, Christus minimè in hunc mundum venisset; an potius è converso? adhuc apud scholiarchas controvertitur. Ad quod (die ½) cum Sub. Mariano. D.N. respondebitur, quod: *Ex vi præsentis decreti, attento motivo primario Incarnationis, adhuc Adamo non peccante, in hunc mundum Christus Dominus venisset.*

Hujus autem triticei manipuli granum purum, excussa ventilabro subtilis discusionis palea, summi Regis congregabit in horrea P.F. JOSEPHUS VASQUEZ, *studentium in Ursaonensi* SERAPH. P.N. FRANCISCI *Conventu Magister, auxilium præstante* R.P.F. STEPHANO CASTAÑO, *Lectore Jubilato, & in Gadicensi Conventu meritiss. Studiorum Regente.*



SPI-

PLena, valdèque pulchra Spica Pietatis denique est. Hujus erga Dei cultũ nobilior dirigitur actus, ac planè designat, & plenè.

EXC. D. D. ANNAM NICOLASSAM

de Guzman, Davila, Roxas, Manrique de Zuñiga, Fernandez de Cordoba, Marchionissam de Astorga, de Velada, S. Roman, Ayamonte, & Villa-Manrique, Comitissam de Saltes, Cantada, Sancta Martha, Villalobos, & Nieva, Dominam de Belloto:o, &c.

Quæ, ob eximiam pietatem, coram Deo invenit gratiam, & ab humilibus honoratur, pia etenim semper enituit, templa nunc ab imis erigens fundamentis, nunc ruinosas, ac penè collapsas pauperum resarciens domos.

Ex alluviei nocentissimæ strage sola incolumis editiore loco servata Ecclesia monstrat Epigraphen: *tantum una superfit*, veluti pietatis, Divinique cultus symbolum, quæ si sola supersint, rerum jactura cæterarum facilè toleranda est. Propterea non timuimus, dum turbabatur generali commotione terra: fundatum enim exultatione universæ terræ Franciściadum Hispalitanum Templum, pietate N. Exc. Benefactricis, renovandum æquali lætitia fidebamus.

Ditissima igitur Dido splendido hospitio Troyanos excipiens speciem ipsius refert (29.) *munera præterea illiacis erepta ruinis, &c.* Unde grates Bœtica rependens Provincia accinit: (30.)

Plurima magnarum fudisti semina laudum,
Quæ matura operis fertilitate metis.
Pauperis hinc lachrymas desiccas, gaudia præstans,
Qui prius ingemuit, vota salutis habet.
Templa vetusta Dei revocasti in culmine prisco
Et floret senior, te reparante, domus.

Quid ultra? plus: qui *magnorum proles, genitrixque Deorum.* (31.) Itaque non plus ultra pietatis, ac miserationis est etiam

EXC. D. D. BONAVENTURA

Ossorio de Moscoso, Phelipez de Guzman, Hurtado de Mendoza, Fernandez de Cordoba, Comes de Altamira, Marchio de Leganes, Dux de San Lucar la Mayor, Princeps de Arazena, Dominus Septem Villarum de Campos, &c.

Igitur si propè templum rurale spicarum depingas manipulos, notula inscriptos: *primitiæ Deo* Excellentissimæ hujus juventutis pietatem designabis florentissimam.

His ergo piissimis Dynastis, Tutelaribus illustribus, beneficis valde Patronis Theologicum manipulum istum Bœtica Franciściadum Provincia veluti vectigal solvit exiguum, ac eorum pientissimæ clientelæ commendatum D.O.S.

TERTIUS THEOLOGICUS MANIPULUS.

Paulus servus Dei, Apostolus autem Jesu-Christi, secundùm fidem electorum Dei, & agnitionem veritatis, quæ secundùm pietatem est, in spem vitæ æternæ, quam promisit:: Deus ante tempora secularia.(ad Tit.cap.1.) Veluti ac dicat: sum Dei servus circa electos, ut prædicem veram fidem, quæ pietatem nutrit: (32.) agnitio enim, & scientia pietatis est: nosse legem. Ubi æternæ prædestinationis ad vitam,liquet, D.Paulum innuere mysteriũ, quam promisit Deus, id est, proposuit, dare decrevit, prædestinavit apud se in sua mente Divina nobis fidelibus dare; *non quidem, ex operibus justitiæ, quæ fecimus nos; sed secundùm suam misericordiam salvos nos fecit:* (ibid.c.3) gratuita nempe sua liberalitate, piissima sponte sua promisit, ac juxta suum liberale decretum, voluntariam constitutionem, æternumque ipsius beneplacitum nobis æternam vitam liberali sua bonitate disposuit. Quapropter:*electionem efficacem,& absolutam ad gloriam die 16. factam fuisse ante absolutam meritorum prævisionem,*

tuebimur.

Pro hoc congregando in cellaria Domini manipulo ventilabrum assumet subtile P. F. FRANCISCUS THERRERO *in Conventu Antiquariensi Philosophiæ Magister, cui juvamen in area feret* P.F. CHRISTOPHORUS CAVALLERO *in Collegio de Propaganda Fide Divi Bonaventuræ Civitatis hujus Primarius Lector.*

(1.Sera in lib.Mar.) (2.Polyanth.Mar.) (3.D.Hier.) (4. Venant.Fort.) (3.Ovid.) (6.Psalm.32.) (7.Psalm.31.) (8.Fortun. Licet) (9.Tibull.) (10.Alv.Port.grat.) (11.Eccl.in off.S.P.N.) (12.Polo.) (13.Ovid) (14.Cornel.in act. Ap.) (15.S. Chrys. in lythurg.) (16.Venant. Fortunat.) (17. Gisler. in cap. 3. Cant) (18.Lib.Mar.) (19.Ovid.) 20.Idem) (21.Lorin. in Psalm.18.) (22.Leblanc.ibid.) (23.Ap.Lorin) (24. Mand Symb. lib. 17.) (25. Eccles. cap. 15.) (26. Picinel.) (27. Niso) (28. Alap.) (29.Virg.) 30.Venant.) (31.Virg.) (32. Alap.)

